

Wilhelm Leyser   Gottfried Suevus

## **Dissertatio Inauguralis De Quorundam Iurium Obitu Singulari**

[Wittenberg]: Fincelius, 1683

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747848483>**

Druck   Freier  Zugang









N. K. - 2 (40.)



*Quod Deus benè vertat!*

DISSERTATIO INAUGVRALIS  
DE

QVORVNDAM JURIVM

OBITU 39

SINGULARI,

*Quam*

EX DECRETO & AUTORITATE MAGNI-  
FICI ICTORUM ORDINIS

IN ILLUSTRACADEMIAVVITTEBERGENSI

Sub PRÆSIDIO

*Viri Nobilissimi atq; Excellentissimi*

DN. WILHELMI LYSERI,

Icti & Antecessoris Celeberrimi

*Patroni sui ac Promotoris obser-  
vantissimè colendi,*

PRO LICENTIA

Ad summos in Jure Honores adspirandi  
publicæ ac solenni disquisitioni

subjicit

GODOFREDVS SVEVUS

Witteb.


*Ad d. 26. Jul. Anno 1683. in Auditorio Majori*

*Horis Ante & Pomeridianis.*

---

Literis CHRISTIANI FINCELII.









*Adjuvante DEO!*  
**I N G R E S S U S .**

**I**n natum ferè curiositatis & novitatis studium hòc seculò hominibus est, ex quo ob varietatem rerum & satietas veterum & desiderium novarum non potuit nõ occurrere. Verùm ea nec affirmare nec refellere mihi incumbet; Ut cunq; auctorem fuerit, prisca quoq; illa non tantùm ornatum ac decus conciliare maximum, sed vel utilitate certare cum novis atq; adeò illis palmam præripere haud vanè pollicentur. Data scil. est ingenii, quæ multis retrò ab hinc seculis floruerè, ista felicitas, ut, quod posteris suapte solertiâ aliquando erant inventuri, suâ prudentiâ jam præoccuparint vixq; aliud reliquerint alienæ industriæ, quàm antehac tradita colligere saltem ad cœterorum usum & dare per manus solumq; istud, quod impensum est, studium laboris sui foetum, quamvis aliunde genitum, proprium ac genuinum profiteri. Quod si verò ulla alia Disciplina, certè prudentia rerum multitudine laborat, ut facile credam earundem numerum incunanti subduci quasdam atq; abscondi. Ex his ea deligenda præcipuè, quæ & ingenio & ætati, deinde conditioni quoq; nostræ ac loco conveniunt. Non enim apta sunt omnibus omnia, sed ut ætatum, ita studiorum quoq; dantur gradus & aliis aliisque studiis alii atq; alii sunt occupandi; siquidem ea ferè humani ingenii conditio



ditio est, ut vix uni rei vacare rectè queat, & distra-  
ctus aliis curis animus ac fatigatus miserè se macerat,  
omniaq; obiter & perfunctoriè agit. Id quod ne parum  
penfè habuisse videar, dùm in præfens Studii Legitimi  
danda ratio est, post unam ex Feudali & duas ex Civili  
Jure Dissertationes hic habitas in præfenti materia vires  
ingenii experiri placuit mihi utpote talem, quæ & Ca-  
thedræ & Curie se insinuare valeret, fortè haud temerè  
reputanti. Nihil verò hîc novum, nihil meum inve-  
nies; neque enim tradere nova jura privatorum est,  
quibus præter colligendi & ritè ordinandi industriam à  
majoribus nihil reliquum mansit, quorum fama in eo  
posteritati commendatur maxime, si in id enitatur, ut  
eorundem tradita per nostram confirmationem pro-  
bata magis ac augustiora reddantur. Autores visu rario-  
res hîc additi nulli, nec deerit tamen horum copia alle-  
gatos hîc Dd. evolere cupienti. De cœtero à Deo beni-  
gnum auxilium, à Lectore Benevolo æquum  
expeto expectoq; judicium.

CAP.



CAPUT I.

exhibens

*Obitus Jurium Naturam*

*in Genere.*

SUMMARIA.

<b>I</b> nteritus omnibus rebus immi- net.	1.	Quae proportio Moralis?	21.
Extenditur hoc ad res divinas.	2. 7.	Illustratur poenâ talionis.	22.
Illustratur variis exemplis. 3. 4. 5.		Princeps in quantum poenam capi- talem sancire possit?	23.
Subjicitur, quae Superioris circa ta- lia intentio sit.	6.	Prescriptionis justitia.	24.
Res divina in quantum acquiri possint?	8.	Quae declaratur ex Sacris.	28.
Secularisationis causa & exem- pla.	9.	Ejusdem varietas.	25.
Interitus idem nocivus & utilis es- se potest.	10.	Ex qua illustratur finis Jprud.	26.
Quis interitus hic tractetur.	11. 12.	Ex Justitia Universalis non dari potest duplex justum.	27.
Distinctio Juris Singularis à privi- legio.	13.	Prescriptionis causa impulsiva.	29.
Quale in dubio privilegium?	14.	Nihil alieni injuriosè hic capitur.	30.
Privilegium quos stringat?	15.	Bona fidei conjectura.	31.
Declaratio tituli Disputationis.	16.	Dubitationis effectus.	32.
Judicium vulgi de quibusdam re- bus civilibus.	17.	Quid Juris circa restitutionem fructuum?	33.
Transactio in capitalibus defendi- tur.	18.	Bona fides juxta Jus Can. à Pro- testantibus sine præjudicio ob- servatur.	34.
Nec publico inde quid decedit.	19.	Superveniens mala fides in quan- tum Jure Can. non noceat?	35.
Proportio absoluta inter delictum & poenam non debet admitti.	20.	Res ritè usucapta liberè reddi po- test.	36.
		Leges Civiles quomodo conscien- tiam stringant?	37.

**O**Mnium rerum suas esse vicissitudines eodè; nunc incipere, 1.  
interire nunc iterum observare quotidie licet; nativitas tam-  
men obitusque Jurium in sola Jprudencia considerari  
amant, ut potè ad cujus formale objectum omnia referen-  
tur,



2. tur, in qua finem suum h. e. justitiam inducere intendit. Nec divinas res, in quantum Potestatem Dogmaticam egrediuntur & ad Architectonicam, de qua distinctione vid. Beckm. *Med. Pol. c. 17. § 5.* & in *Pol. Paral. d. c. §. 4. & 5.*, transeunt seu jus sibi in Rep. applicandum desiderant, hic excludi posse, non saltem sanctione civili §. 1. *L. de J. & J.* sed etiam praxi omnium temporum constitit Dn. Brunnem. in *J. Eccles. L. I. c. 2. §. 2. seq.* De Judæorum Rep. non dubitabit, qui Hiskiaæ atque Josiaæ Regum Judæorum facta ex *2. Reg. 18. v. 3. 4. 5. 6.* & *ex c. 23.* secum expenderit. Quid curæ Germania nostra ut tricennali bellô liberaretur, circa Romano-Catholicos, Augustanæ Confessionis consortes & qui inter illos *Reformati vocantur* hodiè *Infr. Pac. art. 7. pr. B. Parens Dissert. 3. ad Pac. Relig. §. 1. 2. & 4.* hoc intuitu egerit ex *d. L. Pac. art. 5. §. Utriusq; Religionis Magistratus.* abundè patet. Edictorum eò pertinentium exempla nemini incognita, nec minus abrogati alicubi locorum cum aliquot aliis adiaphoris cæteris paribus Exorcismi autoritate Superioris citra alicujus injuriam suscepti Dn. Ziegler. *de Jurib. Maj. L. 1. c. 17. §. 1.* Dn. Stryk. *ad Jus Eccles. Brunnem. c. 6. L. I. m. 3. addit. pen.* In quibus omnibus muneris sui partes ex asse implet Princeps, ut, licet stringens veritati doctrinæ cujusdam argumentum addere nequeat, incommoda tamen plura, sine quibus nulla Resp. esse unquam potest, declinaturus, interitum à Rep. prudenter avertat, qui ex promiscua refutandi licentia & dum horrendæ consequentiæ adversariis, ac si idem aliquando sensissent, imputantur contra bonam fidem Brunn. *d. l. m. 1. §. 5. & ibi addit.* facile afferri poterit, ut in funestum bellum exacerbati diversâ religione imbuti animi tandem prorumpant, pace & tranquillitate publicâ ita desinentibus Brunnm. *d. l. §. 31. seqq.* Beckm. *Med. Pol. c. 17. §. 7.* Hisce probatum arbitror nec divinis rebus jura humana deesse mutationibus extrinsecus adventantibus interdum æque obnoxiiis; at *humani juris conditio semper in infinitum decurrit & nihil est in ea, quod stare perpetuò possit: multas etenim formas edere natura novas deproperat*
3. *L. 2. §. 18. C. de V. J. E.* Hôc q; sensu Ulpianus *L. ult. ff. de LL.* totum jus aut in acquirendo, aut in conservando, aut in minuendo consistere asseruit, cum res divini juris, quæ ut tales simpliciter spectantur, acquisitioni expositæ non sint §. 7. & 8. *J. de R. D. arg. l. 62. ff. de A. R. D.* licet summâ Reip. & necessitate & utilitate urgente secularisari possint, cum
- 4.
- 5.
- 6.
- 7.
- 8.
- 9.



cum sui naturam res nulla sacra sit, sed ex destinatione perpetua ritibus congruis id demum consequatur Brunnem. *Jus Eccl. l. 2. c. 2. §. 1. 3. ib. addit. Beckm. Med. Pol. c. 17. §. pen.* cujus secularisationis exempla *art. XI. Inst. Pac.* Obitum verò nostrorum Jurium ad instar prodigiorum 10. se habere opinamur, quorum eventum uni parti læta alteri tristitia portendere non nemo judicavit, siquidem & hic ex funere, quod unus sentit, alter foetum recenter sibi natum agnoscit lætus; quanquam non raro partum hunc novum antiqui possessoris præfensiones adhuc validè comitentur §. 33. 34. *Et passim J. de R. D.*

Non verò omnium omninò rerum interitus hic considerabitur, sed iste tantum, per quem lapsu temporis labuntur juribus suis possessores, cum satisfecisse nobis censeatur iste, qui tempore à nobis liberatus est L. 45. *in ff. de Admin. Tut.* Neque universa præscriptionis materia utpotè satis diffusà ac amplà à Cujacio *in Tract. de divers. Temp. præscript. Et terminis.* Alberico Gentile *Tr. de divers. tempor. Appellation.* aliisque; prolixè exposita hic ventilabitur; verum ea ex his tantum seligentur, quæ à ceteris quid singulare continere in se videbuntur. Quale singulare jus à Paulo L. 14. *§. 16 ff. de LL.* definitum est, in quo eo à privilegiis differt, quod hæc ad certum Individuum, sive persona sive res (Quæ in dubio realia non erunt L. 4. *ff. de Jure Immun.* nisi sint favorabilia seu reliquos concives non aggravantia L. 2. *§. 6. ff. Ne quid in loco publ.*) fuerit L. 196. *ff. de R. J.* sint directà §. 6. *C. f. J. de J. N. G. & C.* Strauch. *Diss. 3. n. 29. 30.* licet privilegium æquè non privilegiatos, ne usum privilegii impediunt Stryk. *Obs. pen. ad d. §. 6. J.* atque ipsos privilegiatos instar aliùs Legis generalioris stringat, ne ipsimet vel abutentes vel negligentes concessi privilegii obitum sentiant Brunnem. *ad L. 1. ff. de Nundin.* Stryk. *ad tit. J. de his qui sui vel al. Jur. C. f.* Atque hæc quidem sensum conscriptæ Dissertationis tituli tueri posse arbitror, quibus fundamentum causaque; obitum hunc accelerans & producens nunc addi è re videbitur, cum in tempore omnia fieri quotidiana experientia doceat, quorum productionem tamen tempori frustra tribueris. Et fatendum sanè est, apud vulgares aures malè non minùs audire eos, qui transactionem potissimùm in criminibus atrocissimis pœnam mortis ingerentibus cum Imp. *in L. 18. C. de Transact.* asserunt, aut in rebus temporalibus levioribus capitalium suppliciorum sanctiones defendunt, quam qui præscriptionis jura tanquam



- quàm impia contra invites rerum possessores præsidia *Nov 9. prooem.*
18. tuentur. Verùm suis auctoribus hæc relinquenda, rei momenta quoad transactionis negotium *ex d. l. 18. C. junct. L. 1. ff. de bon. eor. & L. 4 inf. L. seq. ff. de his qui not. infam.* non satis expendentibus, cum jura ignoscant, qui non conscientiam sceleris, quæ lenocinii erimen est, quod super adulterio transigentes manebit *in d. l. 18. C. l. 29. ff. & 10. C. i. biq; Brunaem. ad L. Jul. de Adult.* sed metu gravioris periculi, ne ob incertum litis cursum innocens corpus *Quæstioni rei & fragili & periculosa & sæpè veritatem fallenti L. 1. §. 23. ff. de Quæstion.* subjiceretur, adversarium suum corripuisse creditur, per quem crimen apertum iri præprimis existimavit. Publico tamen nihil nocet hæc privata remissio *L. 38. ff. de pact.* nisi debitorem uni creditorum solvendò à reliquis simul liberari asserere placeat; ex quo ad revelandum sibi commissum à Magistratu nihilominus cogi poterit transigens, ut & Reip. satisfiat à delinquente, quod elegantihistorià illustrat Brunnem. *Prof. Inqvis. c. 9. n. 64. & 65.* His non melius videntur procedere, qui proportionem absolutam in conditione rei ansam delicto præbentis cum pœna tam anxie quærunt, cum parùm absit, quin primam Summi Legis sanctionem primis humani generis auctoribus datam profanò ausu iniquam pronunciant, ubi ab unius arboris fructus gustu temporalis pariter ac æternæ vitæ pependit supplicium; præterea quoque vitæ quibusvis fortunæ bonis pretiosiori existente, prædones, sacrilegos, incendiarios ab omni atrociori supplicio liberarent. Ut adeò æqualitatem quandam moralem inter pœnam & delictum latere hinc necessum fuerit, cum res, circa quam peccatur, formam sceleris non ponat, sed potius malum propositum contemnendi salubria sancita, ex quo omne delictum sui naturam grave est, licet in statu comparato ad instar corporis alicujus naturalis ob concursum plurium objectorum, unum alterò gravius rectè asseri queat Beckm. *Moral. c. 8. §. 2. 3. 4.*
22. *Med. Pol. c. 13. §. 2. & Pol. Paral. c. 15. §. 17.* Neq; alia quàm comparata ejusmodi talio delictis expiandis jure Divino commendata esse videtur *Exod. 21. v. 23. seqq.* ne quid durius aut remissius statuatur *v. 19. d. c.* cum alioquin absolutam talionem in delictis carnis ne fingere quidem, in reliquis autem ob inexplicabilem difficultatem nec reperire
23. liceat *Gell. Noct. Attic. L. 20. c. 1.* Meritò itaque Principes immaturas quorundam excusationum causas in venationibus ac furtis aliisque delictis,



illis, quorum poena generi humano manifestata non est, capitaliter puniendis fastidiunt, dum conceditum à DEO in civilibus negotiis arbitrium in suæ autoritatis stabilimentum validè exercent *Devt. 17. v. 12.* si modò à modo poenæ, per quem animæ periculum accelerari misero delinquenti potest, sese abstineant, cum vitæ temporariæ spiritus ex commisso delicto Principis arbitriò tantùm modum accipiat *Rom. 13. v. 4.* Tandem ab impietate liberandi, qui sua jura tempore metiuntur, quorum præsidium in se suscepit imprimis Labor in *Jprud. Element. P. 2. §. 22.* Hæc vero temporis efficacia quo minùs tempori tantùm tribuatur vel solus ordo hanc materiam tractandi ab Imp. electus ostendet *§. f. inf. 7. de Usu & Habit. pr. 7. de Usucap.* evidentissimè autem definitio Modestini *L. 3. ff. de Usurp. & usucap.* evincit. Ut adeò præscriptio intra suum punctum spectata solius Majestatis civilis opus sit *Hulsem. Extens. Breviar. c. 20. §. 5.* pro varia rerum præscribendarum & personarum præscribentium conditione determinatum variè; ejus perennitas in 30. annis tanquàm communiore termino à constitutionibus introducto plerumq; acquiescit *pr. 7. de Perpet. & Temp. act. L. 3. pr. C. de Prescript. 30. annor. L. 1. §. 1. C. de Annal. Except.* licet fatalia ista spatia æquè in momentis, horis, diebus atque mensibus inveniri queant. Hincq; vix evidentius exemplum illustranda illius sententiæ, quæ Jprudentiæ finem Justitiæ particularem asserit *Da. Stryk. ad pr. 7. de J. & 7. p. 8. 9. & 10.* afferri posse arbitror; cum Justitiæ universalis duplex aliquod justum non agnoscat, quod solius particularis justitiæ exista ceu thesi per modum hypotheseos salut Reip. unicè intentæ promanantis opus dixeris *L. 5. ff. de J. & J.* Ex universali enim contraria prodire nequeunt, quæ sentire imperfectionis indicium erit, rem non antè satis perpensam fuisse vel in posterum congruam esse desisse, qualia quæ sunt, ex asse cum voluntate divina morali conspirasse adeoque Justitiæ universalis fuisse dici nequeunt. Non magis verò antiquus dominus sine causa sua amisisse aut novus possessor aliena invalisse hæc jura pronuciari poterit, ac quondam idem efferri potuit de Israelitis vasa pretiosa multa ab Ægyptiis accipientibus pariter ac nunquàm restituentibus. Nam Ægyptios à querelis repellit dura ac iniqua Israelitis imposita conditio, Israelitas verò ab alieno improbo lucro absolvit universalis Domini ac Judicis arbitrium; In præscriptione similia fiunt, nihil magis accusabit hinc aliquis

B

quàm



quam continuatam negligentiam propriam, sine qua nulla præscri-  
 ptio *L. 2. pr. C. de Annal. Except. l. 16. ff. Ex quib. caus. maj. l. 9. §. 2. ff. de Jur.*  
*& fact. ignor. l. 34. & seq. ff. de S. P. R. Frantz. l. 1. ff. Quemadm. serv. amitt.*  
*n. 29. cujus renotabile exemplum in L. 7. §. 11. ff. de A. R. D. l. 23. in ff. de*  
 30. *R. V.* Nihil minus quoque quam alienum, à quo præceptis De-  
 calogi arceretur, habebit alter, cum Principis factum negligentia & ob-  
 scientiam Legis rem pro derelicto habenti subdito accedat eandem-  
 que in bonum publicum à pristino possessore alienatam creditam *L.*  
*28. ff. de V. S. novo possessori tanquam primo occupanti concedat §.*  
 31. *pen. j. de R. D.* quem tamen observantia Legitimorum Requisiteorum  
 ubique instruit, quæ inter Bona fides præcipuas tenet ex autore nostro  
 32. potissimum æstimanda *§. 35. pr. j. de R. D. junct. l. 19. ff. de R. F.* cui cum du-  
 bitatione nullum commercium esse debet Beckm. *Moral. c. 3. §. 21. pr.*  
 licet dubium postea subortum rei derelinquendæ necessitatem non  
 injungat *L. 25. §. 1. ff. de Usur.* unde dubium ex litis contestatione natum  
 & subsequenti judicatio roboratum tantæ efficaciam erit, ut solos fru-  
 33. ctus ante Lit. Cont. consumptos bonæ fidei emtori relinquat *§. 35. j. de*  
*R. D.* extantes autem ac percipiendos simul cum fundo vero domino  
 adjudicet *L. 22. C. de R. V.* licet Praxis quorundam locorum ei, qui bonâ  
 fide fructus consumpsit, lucrum auferat Carpz *P. 3. C. 32. D. 28. in f. dispo-*  
*sitionem Juris in hereditatis petitione aliàs obtinentem L. 1. §. 1. C. de*  
*Petit. her. ad vindicationem rerum singularium ita deducens Frantz.*  
*Exerc. 4. q. 9. quamvis aliud videatur Heigio ad §. Si quis à non domi-*  
 34. *no. j. de R. D. n. 22. seq.* Hæc vero bona fides Jure Can. latius quam  
 Rom. Jure *L. 13. ff. pro Empiore* patet & ad ultimum momentum ex-  
 tenditur *c. fin. X. de Prescript.* cujus dispositio in terris Protestantium  
 nec hodie abrogata reperitur *Dn. Stryk. in præcogn. ad Instit. c. 8. §. pen.*  
*& ult.* ex quo tamen subjectio Pontifici nulla parabitur *Dn. Stryk. d. l. c.*  
 35. *3. in f.* At nec tempora abrogat Jus Can. Civili Jure efformata, unde  
 mala fides omnibus momentis impletis superveniens nec Jure Canon.  
 usucapionem rescindet, quoniam usucapienti res jam plenè quæsitæ  
 nec negotium amplius pendens præstò est, pro quo faceret Tritum il-  
 lud ex *L. 98. in f. pr. & L. 140. §. 2. ff. de V. O. Dn. Stryk. Not. ad §. 4. j. Quib.*  
 36. *mod. Test. in f.* Licebit tamen rem, quam omni jure retinere poterat  
*arg. l. 1. ff. de Acq. poss.*, erroneæ conscientiam motus sentienti reddere,  
 cum penes quem esse dominium hoc debeat, non verò quasi nunquam  
 ab eodem



ab eodem recedere queat, Jura hinc tantum disposuerint Brunnem. Jus  
 Eccl. L. 2. c. XI. §. 4. *ibid.*; quanquam Leges Civiles præcisè quid 37.  
 injungentes in conscientia omnino fringant Rom. 13. v. 5. Beckman.  
 Med. Pol. c. 13. § 5. Salvâ tamen perpetuò manente significanti hâc Mo-  
 ralistarum expressione, modò ultra sphaeram humani generis non ex-  
 tendatur, quâ hoc Caput concludo: *Obligationem Juris Nat. oriri ab ob-*  
*jecto & se diffundere in præceptum; è contrario Obligationem Juris Civ.*  
*oriri à præcepto seq. diffundere in objectum.*

CAPUT II.  
 sistens

*Obitus Jurium Singularia*  
*Exempla.*

SUMMARIA.

<b>C</b> onnexio cum C. præced.	1.	Servitutum acquisitio per præscri-	
Consideratio Juris divini po-		ptionem.	13.
fitivi.	2.	Earundem amissio singularis	13. 14.
<b>E</b> xempla juris divini ad præsen-		Redditur diversitatis ratio.	15.
tem materiam.	3. 4.	Singularis Praxis in acquirentis	
<b>L</b> lum Reip. Judaicæ in aliis Reip.		Servitutibus.	16.
nulla necessitas.	5.	Quæ cessat in amissione.	17.
<b>C</b> onsideratio Juris in re & ad rem		Quod utrumq. Jure Sax. aliter se	
	6.	habet.	18.
<b>P</b> ræscriptio rerum Ecclesiæ.	7.	Quod extenditur ibidem ad res	
<b>A</b> uctoritas Authenticarum.	8.	immobiles.	19.
<b>E</b> adem præscriptio rerum Civita-		Consideratio hypothecæ & pignoris.	
tis, quæ Ecclesiæ.	9.		20.
<b>S</b> ed in rebus mobilibus nihil pecu-		Præscriptio hypothecaria contra	
liare.	10.	extraneum.	21.
<b>Q</b> uid sentiendum de additamento		Quando currere incipiat	22.
anni & diei Saxonici	11.		

Ejus-



<i>Ejusdem prescriptio contra debito-</i>	<i>Earundem Legatarü vel promissa-</i>
<i>rem.</i> 23.	<i>rum diversitas.</i> 46.
<i>Quid Contractus Bodmeria?</i> 24.	<i>Diversitatis hujus ratio.</i> 47.
<i>Dubium exponitur circa compe-</i>	<i>Usuræ prescribuntur cum sorte.</i> 48.
<i>temiam hypothecaria.</i> 25.	<i>Diversa sententia de prescriptione</i>
<i>Et resolvitur.</i> 26. 27.	<i>annuarum prestationum.</i> 49.
<i>Communis Actionum personalium</i>	<i>Decisio Juris Sax. &amp; ejusdem decla-</i>
<i>terminus.</i> 28.	<i>ratio.</i> 50. 51.
<i>Actiones personales interdum ha-</i>	<i>Receptor sententia exponitur.</i> 52.
<i>bent naturam rei, cui inherent.</i>	<i>Et probatur.</i> 53. 54.
29. 30.	<i>Nonagenaria prescriptiois occa-</i>
<i>Natura actionum mixtarum.</i> 32.	<i>sio.</i> 55.
<i>Prescriptio actionum personalium</i>	<i>Consideratio juris Prætorii.</i> 56.
<i>pro Servitutibus.</i> 33.	<i>Ad successionem Prætor sæpe solus</i>
<i>Retrovenditionis Varietas.</i> 34.	<i>admittit heredem.</i> 57.
<i>Orta exinde varietas prescriptio-</i>	<i>Tempora petenda bonorum posses-</i>
<i>nis.</i> 35.	<i>sionis.</i> 58.
<i>Quid in adpositione termini ad</i>	<i>Hæc prætor aliquando triplicavit,</i>
<i>quem?</i> 36.	<i>&amp; quare?</i> 59. 61.
<i>Quid in termino à quo?</i> 37.	<i>Quid sentiendum de duplici por-</i>
<i>Quid in promiscua facultate redi-</i>	<i>tionis à Liberis fideicommissæ</i>
<i>mendi concessa?</i> 38.	<i>gravatis petenda.</i> 60.
<i>Quid si nullum tempus expressum?</i>	<i>Tempus civile adeundi &amp; abstinendi.</i> 62.
39.	<i>Præxis Juris Sax. &amp; Universi Im-</i>
<i>Obtinebit terminus communis.</i> 40.	<i>perii quid liberis tribuat?</i> 63.
<i>Quia nata hæc actio.</i> 41.	<i>An testamento instituti liberi ad hæc</i>
<i>Natura pacti hujus.</i> 42.	<i>30. annos habeant?</i> 64.
<i>An emtor in mala fide?</i> 43.	<i>An tempus hoc à judice coarctari</i>
<i>Annuarum prestationum formula.</i>	<i>possit?</i> 65.
44. 45.	

x. **N**aturâ Obiitûs Nostri priori Capite in quantum præsentî in-  
stituto expedire videbatur, sufficienter declaratâ ejusdemque  
Legalitate similibus quibusdam exemplis illustratâ, nunc In-  
stituti ordo in solis domesticis exemplis occupabitur juxta



§. 12. c. 1. recensendis. Initium ex Jure Divino meritò sisto, non illo 2.  
quidem Morali, sed tali, quod homines assequerentur nunquam, nisi  
jussu Divinò eò adducti, quod *Positivum* dici, in *Universale* autem  
*hominum omnium & Particulare Gentis Israeliticae* dispesci amat.  
Illud adhuc funesti istius diei, quò omni bonò excidit, in omne ma- 3.  
lum incidit humanum genus *Gen. 2. v. 16. 17.* memoriam quotidiè  
cum miseria ob oculos ponit; Hoc verò Theokratiaè Judaicæ a- 4.  
ctiones ita instruit, ut magnum pariter atque exiguum spatium fini-  
endorum Jurium reperire liceat *Levit. 25.* ubi in *vers. 10.* singulis 50.  
annis jura & interire & reviviscere solebant, in *vers. 29. & 30.* Juri  
cedimendi in civitate muris circumdata Annalis terminus præstitu-  
tus invenitur. Cùm verò Deus conservationem Reip. Judaicæ ean- 5.  
dem humanò more informandò unicè respexerit, eadem jura ab a-  
liis Rebusp. observandi nulla necessitas, imò nulla ob diversissima ho-  
diernorum temporum ingenia possibilitas esse poterit *Conf. Num. 5. v.*  
*12. seqq. quem loc.* quod minùs torturæ conveniat, exposuit *Dn. Stryk.*  
*Tr. de J. sens. diff. 6. c. 4. num. 2. seqq. Conf. it. Not. Ejus. ad Inst.*  
*de J. & J. pag. 10. pr. Dn. Bekm. Med. Pol. c. 13. §. 3. n. 2. & Pol. Par. d.*  
*c. 5. §. 3.* Propiùs igitur Imperii nostri Jura spectabo, in quantum 6.  
qvædam singularia exempla de *Jure in Re & Ad Rem*, de qvâ divisi-  
one *L. 2. pr. ff. de Pollic.* proposita, nemini interim litem moturus  
de *5. speciebus Juris in Re*, licet contra receptam hanc sententiam à  
Hahn. *de I. Rer.* defensam sine & effectu juris videantur excidere,  
diversum sentientes, si tot actiones Reales dari non abnuunt. Princi- 7.  
pium mihi hîc erit in Ecclesia & Civitate, qvæ non ordinariò de-  
cennii, vicennii aut tricennii spatio jura sua, qvæcunqve fuerint, amit-  
tunt, sed *octo lustrorum silentiò* demùm terminantur *N. III. c. 1. in*  
*f. N. 17. c. 6.* nec Romanâ Ecclesiâ, secus ac Jure *Can. c. 13. & 14.* 8.  
*x. de Præscript. & per Auth. Quas actiones. C. de SS. Eccles.* ibidem ex-  
ceptâ; cujus *Authentica* Autorem Irnerium non fuisse licet in *Irne-*  
*rio non Errante* deduxerit *Dn. Strauch*, *Authenticam* tamen *Novel-*  
*læ*, ex qvâ desumpta dicitur, repugnantem supposititiam esse eò non  
infringitur *Dn. Stryk. Præcogn. ad Instir. c. 6. §. pen.* Nihilominùs  
canonifata hæc *Auth. d. c. 13. & 14.*, nec Ecclesiæ contra Ecclesiam  
litiganti ultra 40. annos aliquid indultum *c. 6. & 8. x. de præscript.*  
ubi tamen iterum Romana Ecclesiam non comprehenditur utpote,  
qvæ generali suo 100. annorum privilegio, unico *c. ult. in. f. de Præsc.*  
in



in 6. casu excepto, semper gaudet. Viginti tamen hoc Lustrorum si-  
9. lentium L. 23. C. de SS. Eccles. Civitatibus indultum in octo lustra  
expressè mutatum nullibi quidem reperitur sancitum, ex quo princi-  
pio deducta videtur communis sententia DD. à Dn Brunnem. *ad cit.*  
*Auth. n. 6.* adductorum; à vero tamen abire non videntur, qui ma-  
jora privilegia locis sacris ac religiosis toties in jure præ civitatibus,  
quas & Imp. in d. l. 23. venerabilibus locis semper postposuit, con-  
cessa fuisse reputantes eandem quadragenariam præscriptionem Ci-  
vitatibus asseruerint; de cætero in rebus mobilibus in civitate pari-  
10. ter ac Ecclesia statuta triennii vel quadriennii tempora *in suo robore*  
*durabunt per d. Auth. nec Jure Can. hõc intuitu mutatam, cum cap.*  
*13. inf. x. de præscript.* tantum centenariam præscriptionem in locum  
quadragenariæ surrogatam referat Dn. Stryk. *Add. ad §. 1. 7. Eccles;*  
11. *Brunnem. L. 2. XI.* Uti autem tali casu Jure Sax. 6. septimana & 3.  
dies anno uni adhuc adderentur *Carpz. P. C. 3. d. 3. & Conf. 5. d. 6.* ita vi-  
cisim augmentum hoc non extendendum *Carpz. d. l. d. 5.* cujus in-  
Quadragenaria illa contra Ecclesiam præscriptione evidens indici-  
um elucet *Carpz. p. 2. C. 5. d. 7.* Hæc Ecclesiarum Civitatumque ju-  
12. ra excipiet nunc Servitutum consideratio susceptæ materiæ con-  
veniens. Hæ autem *sive* in assertione seu Confessoria *sive* in remo-  
tione seu Negatoria Actione considerentur, ordinariò quidem suò  
pro statu præsentis aut absentis absolvuntur decennii vel vicennii  
13. cursu *L. ult. inf. C. de præscr. long. temp. L. pen. C. de servit.* in amis-  
sione tamen id singulare, quòd non continuò concessus servitutis usus  
sed in dies, menses vel annos divisus per 4. quinquennia neglectus  
serâ poenitentiam desideretur *L. ult. pr. C. de servit.* Cui accedit alte-  
14. rum, quòd in Servitutibus Urbanis solus non usus effectum amittendi  
non operetur, nisi vicinum prædium contrariò factò Libertatem  
sibi asseruerit *L. 6. ff. de S. U. P.* Cujus rei causa in natura servitutum  
15. sita videtur, ut, cum usus rusticus stata tempora magis requirat, è  
contrario urbanus usus diffusius magis ac latius pateat, *ibi* negligea-  
tia sola sufficiat, *hic* verò non ante desidia adesse credatur, quam to-  
lerandò factum alterius me in exercitio juris mei quandocumque li-  
buerit expediendo impediens *Conf. Dn. Brunn. ad d. L. 6. ff. n. ult.*  
16. Quibus nunc singulare Practicum annectendum circa acquisitionem  
servitutum occupatum, quæ in Rusticis seu discontinuis immemoriali



demum absolvitur spatium *Gail. L. 2. obs. 66. n. 7. Mey. p. 9. dec. 163. n.*  
9. Amisio verò sic acquirarum etiam servitutum communia facta 17.  
experitur, cum praxis à Jure Com. aliena strictè capienda & favor  
libertatis hinc militet Dn. Brunn. *ad L. ult. C. de Servit. n. 12.* quà res  
qualibet in dubio gaudere præsumitur *arg. L. 8. pr. C. de servit. Carpz.*  
*P. 1. C. 27. D. 7.* licet jure Sax. hic nulla differentia, sed continuæ æq;  
ac discontinuæ ac in univèrsum omnes servitutes lapsu 30. ann. & diei 18.  
Sax. scilicet acquirantur *Carpz. P. 2. C. 4. D. 8.* & amittantur *Schultz Synops.*  
*Instit. t. de usufr. lit. e.* qui cursus quoque ibidem in rebus immobili-  
bus tenet *Carpz. P. 2. C. 3. d. 3. n. 8.* ut hinc temporum præsentia 19.  
aut absentia observatio non attendatur, de quibus *N. 119. c.*  
8. Exemplum singularis obitus in Juribus Realibus mihi nunc suppe-  
ditabit Actio Hypothecaria. Hypothecam & pignus in re mobili æ 20.  
quæ ac immobili, fide desuper per scripturam vel sine scriptura ha-  
bita, consistere posse si prius dixerò juxta §. 7, de Action. &  
*Carpz. p. 2. C. 32. d. 24. n. 1.* licet inter pignus & hypothecam *L. 5. §. 1. ff.*  
*de pignor.* quoad actionem hypothecariam nihil intersit, protinus  
naturam ejusdem à jure efformatam exhibendam duxi. Exspirabit 21.  
itaque hæc Actio 30. annorum silentio, quatenus in extraneum sup-  
posita rei detentorem directæ est *L. 7. pr. C. de præscr. 30. annor.* qui si  
in bona fide constitutus fuisset, 10. aut 20. annorum fecisset compen-  
dium *L. 1. §. 2. C. si advers. Creditor.* quod tempuscum ex die constituta 22.  
hypotheca currere incipiat, tuebitur adhuc creditorem contra hypo-  
thecæ possessorem, licet res hypothecata non multò post hypothe-  
cam constitutam legitimè usucapta fuerit Dn. Brunn. *ad d. L. 1. C. n.*  
3. At quatenus ipsum debitorem hypothecæ detentorem nostra A-  
ctio concernit, nullis lustrorum cursibus extingvi posse visa ab Imp. 23.  
nihilominus ultra 40. annos, ex quo competere cœpit, non prorogari  
debere iussa est *L. 7. §. 1. C. de præscr. 30. ann.* Verùm licet contractus  
Bodmeria, quò obligatio navis fundo tantùm adhæret eaque perem- 24.  
tâ extingvitur *Stipman. de Jure Naut. P. 4. c. 5.* exemplum hypothecæ  
sine princ. obligat. referat, istud tamen Juri Rom. incognitum est, cu-  
jus tantoperè commendatum principium Accessorium sine principali 25.  
suo esse non posse parùm abest, quin eò ipsò, dum summotâ perso-  
nali Actione, Hypothecariam per integrum decennium, cujus pri-  
mò lapsu in casu, quò extraneus possidet, ceu suprà diximus, aliàs



expirare videbatur, adhuc durare Imperator clarè constituit, infringat sententiamque à Jure alienam ac sine effectu proposuisse videatur, cum pignus sine debito nec fingi, nec ad securitatem exigi possit, imò per solutionem & alias exceptiones, quibus præscriptio similis habetur *l. 45. inf. ff. de Admin. & peric. Tutor. ibid. Gothofr. lit. g. d. 37. ff. de Fidej.*, Hypothecaria ipsa tollatur *l. 43. ff. de Solut. l. 13. ff. Quib. mod. pign. vel Hypoth. solv.* At verò cum suppositis certis casibus intelligere debeamus, vincula pignoris durare, personali actione submotà *l. 2. C. de Luit. pign. ibid. Brunnem. n. 5. seq. Gothofr. lit. d.* nec hic deserendus Imp. aut manifestæ absurditatis arguendus; cujus evitandæ ergò dicendum videtur, actualem quandam satisfactionem intervenire oportere, ut hypothecaria extingvatur: Cum itaq; creditori debitor duplici jure teneatur debitoris pariter ac hypothecæ possessoris, atque sic vinculum juris Civ. per præscriptionem 30. annorum saltem sublatum sit, salvâ interim manente obligatione naturali *l. 59. ff. Ad. Sect. Trebell. Imp. præscriptionis efficaciam, quam personalis Actio hactenus experta est, tanquam odiosam ad Hypothecariam extensam esse noluit, sed in initio cum principali obligatione semel constitutam ab hac ad integrum decennium separatam voluit, & ut hypotheca naturali obligationi aliàs accedere apta l. 5. pr. ff. de Pignor. & Hypoth.* eidem, civili per præscriptionem annihilatâ, nunc paulò diutius ad tempus à se definitum assisteret, quò elapso, diuturnum hoc creditoris silentium nullam significationem Juris sui edentis plenissimum remissionis effectum inferret, non frustra constituit. conf. Dn. Brunnem. *ad l. 7. §. 1. C. de præscr. 30. ann. n. 7.*

28. *8. 9. Frantzk. Ex. 13. q. ult.* Ad Singularia quædam actionum Personalium nunc transiturus communiorum earundem terminum prius afferendum duxi, quem Imp. 30. annorum esse voluit *l. 3. C. de Præscr. 30. ann.* quanquam distindam non sit, jura personalia in connectione cum rebus corporalibus considerata, uti in aliis momentis *l. 15. ff. de R. J. l. 143. ff. de V. S. Carpz. P. 1. C. 5. D. 17.* ita maximè quoque in præsentis materia eadem facta sentire, quæ aliæque res, quibus adherent, quod exemplò Jurisdictionis cum prædio sine prædio v. 30. decimum annis præscribendæ illustrat Brunnem. *ad Wes. Parat. t. de Indict. q. 19.* Sicuti è contrario Realis juris spiritum diuturniorem reddit personalis actionis ratio, quæ ita respondere compulit Imp. in

l. 7.



L. 7. C. de Petit. Heredit. in exemplis actionum Mixtarum §. 20. §. 32  
de Action. ubi utrumque jus agendi per combinationem occurrit, li-  
cet unumquodque horum jurium alterutrum prævertere possit, in  
quantum v. g. vel divisio rei vel ratio administrandi unice deside-  
ratur Dn. Stryk. ad d. §. 20. Franzk. Ex. 13. q. 3. Hoc tamen singu- 33  
lare favore Libertatis Imperatori placuit, ut qui pactionibus atque  
stipulationibus aut testamento Servitutis jura sibi constitui exigere  
potest §. ult. §. de Servit. præd protinus decennii vel vicennii lapsu spe  
sibi factâ excidat L. pen. §. 1. C. de Usufr. L. 13. C. de Servit. Brunnem.  
ad d. L. pen. n. 7. Huic subjicere nunc placet pactum de Retroven- 34  
dendo, cujus tres modos exposuit Hahn ad Wesenb. t. de Resc. Vend.  
inf. ex quibus modum primum judiciò Hahnii etiam frequentiore,  
quò eâ conventiono res venditur, ut venditori pretium acceptum offe-  
renti res restituatur, tantum contemplabimur. Ut constet an huic 35  
Juri redimendi præscribi possit, cum Struvio Exerc. 23. §. 43. condi-  
tionem ac qualitatem pacti distinxisse juvabit. Etenim certum tem-  
pus adjectum præscriptionis vel initium vel finem ostendet à contra-  
hentibus ad amussim observandum arg. L. 23. ff. de R. J. Finis agen- 36  
di adpositione termini ad quem v. g. binnen 15. Jahr absolvitur, quò  
elapsò facultas redimendi simul labitur, cum quæ ad certum tempus  
concessa, lapsò tempore credantur revocata arg. §. 1. in f. §. de Atril.  
Tut. Carpz. P. 2. C. 1. D. 8. Uti idem in fidejussione ad tempus restri-  
cta obtinet Brunnem. q. 21. ad Wesenb. de Fidej. Initium verò agen- 37  
di adjectio termini à quo v. g. nach 15. Jahren demùm præstat, quò in-  
tegris tribus lustris quietum se præstare voluit emtor ab actione ven-  
diti ex pacto hoc addito venditori quæsitâ L. 2. C. de Pact. inter emt.  
& Vendit. Carpz. d. l. def. 9. n. 4. in f. ubi concessum conventionis  
lege spatium Legale momentum ordinarium semper excedet. Si 38  
nullum tempus expressum, redimendi autem facultas venditoris ar-  
bitrio quancumque libuerit disertè permisa, quidnè & hîc ut in ma-  
teria pignorum L. 4. in f. ff. de Pign. Act. pactum ordinariò jure forti-  
us reputabitur & defnita LLus tempora excedere, atq; adeò hætenus  
redemptionem rem meræ facultatis censerî, in quam emtori semel cõ-  
sentienti, dein vero de præscriptione excipienti pacti conventi & doli  
replicatio semper obstabit arg. L. 31. §. 22. ff. de Edil. Edict. Quodsi 39  
pactum de Retrovendendo simpliciter & sine expressione temporis  
C adje-



adjectum, huic nullò tempore ne centum quidem annorum aut plu-  
rium præscribi & Juris Sax. aliorumque locorum præxis hæcenus te-  
net *Const. Elect. 1. P. 2. Gail L. 2. obs. 18. n. 4. Hahn d. l. cc. f.* attamen  
40 Jure Civ. communis personalium Jurium terminus hic agnoscendus  
videtur. Etenim venditione celebratâ hic primâ de nova incunda  
simul conventum fuit, dum primus emtor tanquàm dominus  
41 revendere debet, nec primus venditor rem propriam ree mere  
poterit *L. 23. §. 3. ff. Mandati. L. 45. ff. de R. J.* Nata itaque hic  
actio est ex pacto contractui addito, quæ compellit emtorem pristi-  
num ad præstandum id, quod conventum, licet exercitium hujus a-  
ctionis ad consummandam adque effectum perducendam emtionem  
42 oblationem pretii omninò exigat *L. 13. §. 8. ff. de Act. Emt.* Neque  
pactum hoc ad id tendit, ut longiorem præscriptionem producat, sed  
ut res redimi possit saltem; quod citra hanc conventionem non licu-  
43 isset, ut adeò ea res absolutæ facultatis dici nequeat. Nec video,  
quomodò in mala fide versari possit emtor, dum rem nullò vitiò af-  
fectam ex titulo ad dominium transferendum habili possidet, nisi om-  
nis in mala fide constituatur, qui eò ipsò, quò rem comparat, bene-  
ficia Legis temporum cursibus sibi indulta nec pacto à se remissa in  
consilio habet, suumque autorem eòdem animò rem transferre, admi-  
nimum transferre debere, imò, dum nihil excepit, quoque transtulisse  
credit, uti *c. i. n. 30.* jam expositum est. conf. *Zoel. ad ff. t. de Retract. n. 34.*  
44 *cc. f.* qui tamen *in precedentibus* paulò aliter sentit. Annuarum præ-  
stationum jura nunc addituro earundem formulam ac naturam om-  
mittere è re visum non est. Quàm variè itaque præstatio annua ef-  
ferri queat, *Pomponii* sententiâ ab *Ulp. in §. 6. L. 12. ff. Quando dies Legati.*  
45 relata satis constat. Nec omnis tamen præstatio in annos divisa  
in dubio annua credi debet, nisi alimentorum favor aliud suserit *L.*  
46 *20. ff. d. t. L. 3. pr. ff. de Ann. & Menstr. Legat.* Diversa ratio actuum  
ultimarum voluntatum & inter vivos effecit quoque harum præsta-  
tionum diversam naturam. Legati annui dies ex die mortis primò  
postea in initio cujusque anni cedit *L. 12. §. 1. & 3. ff. Quando dies Legat.*  
hincque multiplex constituitur nec ad heredes transit, quod defuncto  
quæsitum non fuit *L. 4. & 11. ff. de Ann. Legat.* In obligatione an-  
nua omnia in contrarium versa sunt, quæ una est, & incerta, & perpe-  
tua: non quemadmodum simile Legatum morte Legatarii finitur *L. 16.*  
47 *§. 1. ff. de V. O.* Cujus diversitatis ratio in natura contractus *L. 9.*  
*ff. de*



*ff. de Probat.* & ultimæ voluntatis indole meritum singulare, quod  
personam non egredietur, respicientis potissimum latere videtur *L. 9.*  
*ff. Pro Soc.* In obitu harum præstationum dijudicando usurarum  
præscriptio omninò separanda erit. Etenim annua Usurarum de- 48.  
bita per & propter sortem talia sunt, sorte itaq; lapsu temporis expi-  
rante, usurarum seu Accessorii obitum simul validè sentiet creditor  
manifestâ Imp. sanctione *in pr. l. 26. C. de Usur.* abundè in hoc luctu  
confirmatus. Quoad ipsas verò principales præstationes annuas an- 49.  
tiquorum Glossatorum *Bulgari, Martini* atque *Johannis* litigia nota  
sunt, quæ recensuit atque discussit *Berlich. P. 2. Concl. 4.* Quæ inter 50.  
eos agitata quæstio admodum ambigua & difficilis cum videretur Se-  
reniss. Electori Saxonia, in Electoratu Sax. opinio *Bulgari* publicè ad-  
probata est, ut omnibus quocunque testamenti vel contractûs nomine  
venientibus præstationibus annuis in universum, seu præteritum seu  
futurum tempus spectes, unò atque ordinariò temporis lapsu præscri-  
beretur *P. 2. Const. 2. quanquam Carpz. ad d. Const. Def. 1. n. 4.* eandem 51.  
tantum interpretetur de accessionibus annuis & usuris; Quò admisso  
in principalibus præstationibus etiam Jure Sax. *Martini* sententia se- 52.  
quenda erit, ut indistinctè in omnibus ex quocunque genere debendi  
ortis hæc præstationibus de anno in annum & pro singulis, pro quibus  
cessatum, 30. annorum præscriptio procedat. Licet enim una 53.  
per contractum constituta obligatio annua, ex quo principio Glossa-  
tor *Johannes* sua deduxit, quæ sequitur *Hahn. ad Wes. de Ann. leg. in f.*  
petitio tamen in plures annos divisa est nec unò annò totum, quod  
debetur, exigi poterit, ut ad eò ab uno quovis solutionis termino e- 54.  
lapso ejusdem obitus ad metam suam decurrere incipiat. Hancque  
computandi rationem omnibus manifestam esse debere Imp. con-  
stituit *§. ult. L. 7. C. de Præscr. 30. ann. conf. Dd. cit à Brunnem. ad Wes. q.*  
*§. 1. de Ann. & Mensr. Legat.*

Singularibus personalium Jurium hîc quidem recensendis No- 55.  
nagenarium temporis lapsum adjicio, Rom. Juri quidem incognitum  
ejus tamen occasione natum, & quidem ab ea parte hujus Juris quod  
Prætorium audit. Hoc jus licet in Corpus Juris relatum eandem 56.  
cum reliquis Juris Civ. eidem contradistinctis partibus auctoritatem  
acceperit, ita tamen insertum fuit, ut naturam, qualem antea nactum  
fuerat, nò deponeret sed retineret; quæ natura in præscriptione actio-



57. num maximè elucet Dn. Stryk, *Præc. ad Instit. c. 1. §. 24.* Hæc si in successione materia investigatur, ubi sæpè citra Prætoris auxilium quis excludendus foret, quod exempla in *L. 12. 17. ff. de Injust. Rupto §. 6. I. Quib. mod. test. infirm. L. ult. C. Unde Liberi.* de quo vid. Dn. Stryk. *Tract. de Success. ab Intest. c. 2. art. 1. §. 17. 18. 19.* clarè evincunt, in Liberis & Parentibus non ultra annum extensa, in reliquis propinquis intra centum dies inclusa saltem reperitur bonorum possessionis petitio §. 3. *inf. J. de Bonor. possess.* Hic terminus à Præatore assignatus si elapsus fuerit,
59. Prætor sui non dememinit, sed æquitate motus *L. 1. pr. ff. de Pec. Constit.* Liberis ad bona Parentum occupanda adhuc duos terminos indulgit, utpote Agnatorum Cognatorumq; Jure pariter ac Liberoꝝ necessitudine gaudentibus *L. 1. §. 11. ff. de Success. Edict.* quanqvàm non ad eò concurrentibus hîc Regulis, quæ duplex lucrum ex diversis causis distinctisqve temporibus delatum alioquin permittunt; licet eadem Regulæ citra observantiæ robur considerata, de qua Carpz. *P. 3. C. 1. D. 21.* opinioni Liberis conditionalis fideicommissò gravatis duplicem portionem detrahente indulgenti favere non videantur, cum Liberi in Legitima, ultra quam nihil eis debetur à Patre testamentum condente, non alium qvàm Liberoꝝ patiantur respectum *L. 6. C. ad Sct. Treb. B. Parens Velit. Instit. 9. Th. 10. lit. c. d. Arumæus Dissut. 18. §. 17. & Ex. 9. §. 18.* Verùm ad hanc triplicitati temporis æquitate exiguum à se assignatum spatium Præatorem facilè allicere potuit, quod tamen civili Lege satis amplum fuisse suprâ *n. 31.* dictum fuit, quale &
62. abstinendi arbitrio attribuendum esse Contrarioꝝ ac Relatorum ratio *pr. J. de Tutel. & pr. J. de His qui sui vel alien. jur.* probabiliter juxta quosdam Dd. evincit. Cui petitioni licet Jus Sax. annum & diem suum addat Carpzov. *P. 2. C. 3. D. 10. inf.* attamen universa Imperii Praxis Liberis triplicato respectui à Præatore assumpto civile simul 30. annorum spatium ter addidit, ut hinc post 90. annos ab antecessorum hereditate Liberi demùm excludantur Carpz. *P. 3. C. 14. D. 30.* Philippi *Vf. Præct. Institut L. 3. Eclog. 34. n. 7. cc. f.* An verò *ibid. in pr. n. 7.* Dd. al-
64. legatorum calculus adhuc ad 30. annos, si liberi testamento instituti, extendi debeat, vel ex eo dubitare licebit, quod causa testati causam intestati extingvat *arg. L. 11. inf. pr. ff. de Testam. Tut.* adeoqve juribus ab intestato in Praxi inductis viam hætenus præcludat, cum & Jura singularia ad alias causas & personas extendere fas non fuerit. *L. 14. ff. de LL.*



de LL. Vid. Philippi d.l.n.8. Licet concisus tempus á Judice eligi pos- 65.  
 sit, petentibus id creditoribus aut legatariis, quò elapsò heres propriò  
 factò ab hereditate excludetur Brunnem ad. L.8. §9. C. de  
 Jure delib. n.7. seqq.

CAPUT III,  
 recensens

*Obitùs Furium Obstacula.*

SUMMARIA.

<b>C</b> onnexio cum Cap. præc.	1.	Renunciatio dicta etiam Legitimã	
De jure luendi Dd. sententia.		comprehendit.	17.19.
	2.3.	Ratio ejus.	20.22.
Contra quem currat præscriptio?	4.	Illustratur exemplis.	21.
Jus luendi cum obligatione pignoris		Donatio strictè capienda.	23.24.
nascitur.	5.	Dubium de Actionibus præscriben-	
Sed ante solutionem debiti exerceri		dis exponitur.	25.
nequit.	6.8.	Deciditur.	26.
Quid sentiendum de cursu alterius		Confirmatur.	27.
Tanti?	7.	Generalis negatio præscriptionis	
Quomodo dormiat præscriptio?	9.	quomodo intelligenda?	28.30.
Et quò tempore?	10.	In Domani alibus bonis que Princi-	
Præscriptio aliquando nec incipere		pis & populi jura?	29.
potest.	12.	Immemoralis præscriptionis præ-	
Donatio omnium bonorum permis-		rogativa.	31.
sa est.	13.	Ad quam & bona fides requiritur,	
Sed cælebs revocat eandem, liberis		secus ac J. Rom.	32.
susceptis.	14.	Ratio Juris Can. de necessitate bona	
Revocationi tamen renunciari pot.		fidei defenditur.	33.
est.	15.	Idem Pontifex in ratione prohibi-	
Ad ineundum matrimonium nulla		torum graduum matrimonii ri-	
obligatio.	16.	diculus putatur.	34.
Æquitas sæpè fingitur.	18.		

C 3

Causa



<i>Causa impulsiva prohibitorū gra-</i>	<i>Regalia Majora subditus non capit</i>
<i>duum.</i> 35.	57.
<i>Ratio ibi addita à risu vindicatur.</i>	<i>Exceptiones perpetuò obstant.</i> 58.
36.	<i>Exemplis illustratur.</i> 59.
<i>Præscriptio immemorialis Jure Rom</i>	<i>Ratio ejus.</i> 60.
<i>non exprimitur.</i> 37.	<i>Exceptiones quomodo tollantur?</i>
<i>Quod maximum tempus ibidem?</i>	61.
38.	<i>Necessaria defensionis renunciari</i>
<i>Ubi centum anni obtineant?</i> 39. 41.	<i>non potest.</i> 62.
<i>Nemo centum annos vivere præsu-</i>	<i>Conspectus præscriptionis exemplo-</i>
<i>mitur.</i> 40.	<i>rum in delictis.</i> 63.
<i>Quenam præscriptio immemoria-</i>	<i>Non omnium virtutum datur in</i>
<i>lis?</i> 42.	<i>Rep. præmium.</i> 64.
<i>Comparatio Regalium cum attri-</i>	<i>Nec omnium delictorum pœna ibi-</i>
<i>butis divinis.</i> 43.	<i>dem sancita.</i> 65.
<i>Eorundem natura &amp; numerus.</i> 44.	<i>Quenam delicta præcipuè hæc con-</i>
<i>Divisio.</i> 45.	<i>sideranda?</i> 66.
<i>An ullum Regale à Principe abesse</i>	<i>Cursus Vicennii initium.</i> 67.
<i>possit?</i> 46.	<i>Delinquens præscriptione absolu-</i>
<i>Regnorum præscriptio non datur.</i>	<i>tus in bona fide est.</i> 68.
47.	<i>Ad denunciandum delictum quo-</i>
<i>Tituli Regni translativi.</i> 48.	<i>modo quis teneatur?</i> 69.
<i>Illustratur exemplo Jephthæ ex Sa-</i>	<i>Judex ignorantiam delicti commis-</i>
<i>cris.</i> 49.	<i>si pretendere nequit.</i> 70.
<i>Subditus Regalium Minorum quo-</i>	<i>Deprecationem tamen adhuc urge-</i>
<i>modo particeps reddatur?</i> 50.	<i>re potest.</i> 71.
<i>Locum ibi invenit præscriptio.</i> 51.	<i>Superior jus per præscriptionem</i>
<i>LLus suis vivere Principi conveni-</i>	<i>quesitum tollere potest.</i> 72.
<i>ens est.</i> 52.	<i>Quid in Sax. juris in Adulterio?</i> 73.
<i>Titulus possessionis Principi eden-</i>	<i>Principes in pœna Juris Divini di-</i>
<i>bus.</i> 53.	<i>spensare nequit.</i> 74.
<i>Quomodo id valeat in Immediatis</i>	<i>Sed tempus, intra quod in crimina-</i>
<i>Nobilibus Imperii?</i> 54.	<i>non amplius inquirendum, sanc-</i>
<i>Item in Statibus Imperii?</i> 55.	<i>re potest.</i> 75.
<i>Præscriptio verò strictè capi debet.</i>	<i>Conclusio Dissertationis hujus.</i> 76.
56.	

Nunquam



**N**Unquam ferè officio suo probè defunctos se fuisse credidè- 1.  
runt, qui in Academiis alicui rei exponendæ operam dedè-  
runt, nisi & ejusdem rei contraria *vel vera vel adparentia ad-*  
*jecissent:* Quorum mori & memetipsum accommodare nūc  
placuit, recensendò quædam hîc, quæ obitum Jurium *vel non admit-*  
*tere, vel certè quadantenus impedire posse videbuntur.* Itaque pri- 2.  
mùm allego Actionis Pignoratitiæ seu Juris Luendi exemplum, con-  
tra quod constat ultra 100. & plures annos præscriptionem locum,  
non invenisse *Consp. Elect. 1 P. 2. imò Dd. cit. à Brunnem. ad L. 9. n. 8. cc.*  
*f. ff. de Pignorat. act.* testantur, debitores non saltem post 200. annos fu-  
isse auditos, sed etiam post 1000. annos audiri debere, si de contractu  
pignoratitio constet. Num indè peculiare privilegium debitori as- 3.  
feratur, ne fortè per obliquum Legi Commissoriæ in materia pigno-  
ris severè prohibita *L. f. C. de Pact. pign.* locus detur; an vero is hujus-  
modi patrocinii minimè indigus merò Jure munitus sit dubitare li-  
cet. Et sanè de facultate in Judicio agendi competentente neglecta  
*LL. 3. & 4. C. de Præscr. 30. ann.* disponere fidem addit *L. 1. in f. C. de An-* 4.  
*nal. Except. agere non valenti nec præscriptionem currere* asserens. Jam 5.  
Actionem Pignoratitiam quatenus inter Directas refertur curatè ex-  
pendenti patere puto, originaliter cum ipsa obligatione pignoris or-  
tam fuisse, ac dùm immediatè & directè ex contractu descendit, cre-  
ditorem hòc ipsò, quò pignus accepit, ad id restituendum obligari §.  
*4. 1. Quib. mod. re contr. obl.* adeoque veram præsentemq; obligatio- 6.  
nem sine actione confingere non licebit. At vero exercitium ejus  
in casum exsoluti integri debiti (ex quò etiam cursus alterius Tanti 7  
pendet, quò licet ulterius per *N. 121. c. 1.* inhibitus, Praxi tamen ad du-  
ctum *L. 10. C. de Usur.* in multis locis iterùm permissus invenitur Brun-  
nem. *ad d. l. 10. C. cc. f.*) suspensum est, ut ita hòc intuitu in causa sua de-  
litescere quasi credatur Pignoratitia actio *arg. L. 112. ff. de R. J.* peractà  
verò solutione nasci i. e. efficaciter operari rectè asseratur in *L. 9. §. 3. L.*  
*40. §. 2. ff. L. n. C. de Pignorat. act.* Et ab hoc tempore hujus actionis spi- 8.  
ritum spatium LLus definitum demùm metitur, alioquin exceptione  
intentionis h. e. actionis hòc effectù nondum nata: sed in aliud tem-  
pus vel tacitè dilata: agenti maturiùs perpetuò resistente *L. 7. §. 4. C. de*  
*Præscr. 30. ann.* Brunnem. *ad d. l. 9. §. 3. n. 8. pr. & q. ult. ad Wes. d. t.* Frantzk.  
*ad t. ff. de Pign. act. n. 6. seqq.* Huic succedet inchoatæ sed impeditæ 9.  
præscri-



- præscriptionis exemplum. Sanè uti gravis morbus suavi somnò sæpè depulsus legitur; sic & hïc diuturnus aliquis somnus jura nostra ab interitu imminente conservat; quamdiu enim dormit præscriptio, excitari non debet, dormit autem, si Juris nostri persequendi facultas
10. non datur *L. 1. §. 2. in f. C. de Annal. Except.* Quod calamitosis Reip. temporibus belli nimirum & pestis *Carpz. P. 2. dec. 116. n. 11.* maximè usu venit, ubi, licet judicia omnia penitùs clausa non sint, non tamen litigandi desiderium admittet facilè publica calamitas, ut hinc hostilitatis reapse exercitæ tempus cursum præscriptionis impediatur *c. 10. in f. X. de*
  11. *Præscript. Rec. Imp. de Ao. 1654. §. 172.* quò finito sæpè recidivam patiuntur nostra jura, dùm tempus prius cum posteriori conjungitur,
  12. quod prioris cursum continuat. Verùm præscriptionem aliquando neque dormire, neque incœpisse, imò neque incipere posse nunc
  13. ostendendum duxi, exemplò ex donationum Jure ad id adductò. Omnia bona donari posse, à Veteribus Jctis rejecta, Neotericis autem benè recepta ac in Jure fundata sententia est *Wissenb. ad t. ff. de Don. th. 11.* Ab eadem facultate cœlebs nullibi arceatur, quin potius susceptis postea liberis licentiã revocandi donata gaudeat *L. 8. C. de Revoc.*
  15. *Donat.* Num huic revocationi renunciare queat, exindè pendet, an ejusmodi conventio ad patrandum aliquod delictum invitet *L. 27. §. 4. ff. de Pact.* quale in ipso cœlibatu reperiri non poterit, cum nullò præceptò Naturali aut Divinò ad ineundum matrimonium quis in Individuo adigatur *1. Cor. 7. ferè tot. Dn. Beckm. Pol. Paral. c. 7. §. 1.* imò civili sanctione concedatur, spe commodi cujusdam aliquem à secundis nuptiis arceri posse *Auth. Cui relictum. C. de Indicta Viduit. N. 22. c. 36.*
  17. Renunciatio itaque hac cœlibis seu liberis, cum donaret, non habentis, liquida erit, quæ tamen liberis postea natis ultra *Legitimam* tantùm
  18. nociya communiter creditur *Carpz. P. 2. C. 12. D. 33. n. 5.* Ast sæpè æquitatis color quid exigit, quod jura negant, ut in re aliena vero domino sine refusione pretii à bonæ fidei possessore restituenda abundè patet *L. 2. C. de Furt. Franzk. L. 2. Resol. 8. n. 16. & Resol. seq.* ita & hïc, nisi consuetudo robur quoddam addiderit, quæ tamen Jure Sax. unò
  19. alterovè actu non protinus inducitur *Carpz. P. 2. C. 3. D. 21.* fictam æquitatem pro ea Legitima revocanda saltem agnoscerem, suppositò, tempore donationis peractæ nullos Liberos in utero fuisse, quorum
  20. cum natis eadem aliàs habetur ratio *L. 26. ff. de Stat. bom.* Etenim  
Patri



Patri ad jura remissa non patebit regressus, de Liberorum autem Legitima non antè cogitari poterit, quàm iidem mundum ingressi fuerint, quò factò nil nisi infortunium queri possunt, se scilicet patrem pauperem esse nactos adeòque in splendidiori cum ditioribus statu educari non posse, non secus ac qualitatè à patre seruo in se derivatam, & perduellis patris bona à Rep. ablata sub infortunii non pœnæ nomine innocens experitur filius Beckm. *Medit. Pol. c. 15. §. 12. & 13. n. 2.* quod omne dùm nasceretur, mutando non erat. Legitimæ hujus igitur jus nec post natiuitatem in bonis alienis nasci, multò minùs eò quòd viventis hereditas peti nequeat, hæctenus impeditum asseri poterit. Adeòque hi Liberi nihil habebunt, nisi in quantum post donationem factam pater lucratus est; futura enim donata non præsumpta stricta svadet donationis indoles *L. 22. ff. de Donat. L. 25. ff. de Probation.* Vel in quantum adhuc in actionibus aliquid patri superest non simpliciter bona, quò casu & jura continentur *L. 49. ff. de V. S.* sed mobilia & immobilia tantùm donanti, ubi Nomina tertiam bonorum speciem constituunt *L. 15. §. 2. ff. de Rejudic. c. 34. de R. J. in 610.* Quæ Lucra ex Actionibus eò certiora Liberis erunt, quò eis nullò unquam tempore præscribi posse videtur, utpote debitore negotii cum creditore, peracti semper gnaro, ejus herede autem in eadem vitia sui autoris succedente *L. 11. C. de Acq. possess.* quod cum primis Jure Canon. propter *c. ult. X. de Prescript.* procedit. At tamen si heres bonæ fidei initium ex sua persona numeret debiti ignarus, quòd præscribere possit apud Dn. Brunnem. in *Decis. 13. Cent. 3.* decisum reperitur. Cui ex diversitate usucapionis rerum robur accedit, à qua heres ideò repellitur, quia medium, per quò devolvitur in eum inhabilitas usucapiendi, actualis rei v. g. defuncto commodatæ possessio absolvis; quale quid in præscriptione Jurium non invenitur. His nunc subjicio, multa in jure præscribi posse negari, quæ tamen præscriptionis vim omninò experiuntur. Sacra, Religiosa & Domanialia præcipuè hùc spectant, quæ dum vel extra commercium vel inalienabilia supponuntur Dn. Brunnem *Ex. 8. §. 9. n. 2.* sanè præscriptibilia esse non poterunt; quòd de Domanialibus, quæ tamen extra summa imperia vix dantur, adeò verum, ut populus ex concessione seu destinatione prima horum bonorum ad sustentationem Principis sui facta jus prohibendi omnes actus intentioni huic suæ præjudiciosos sibi paraverit, quòd dùm

D  
Principe



- Principe spernitur, populus quidem acquiescet, jure resistendi in fortem subditi nunquam cadere valente; at Princeps ipse vel Successores rescindere contractus Reip. nocivos & exuere iniquo lucro possessores iterum poterit vid. *Disput. Dn. Stryk. de Salvo Jure Princip. c. 1. n. 25. ad num. 41.* nisi ex Jure Imperii tota res fuerit peracta, quod impedire prohi subditi nunquam fuerit conf. Dn. Brunnem. in *Consil. cons. l. tot.*
30. Hæc atque similia dum incapacia usucapionis aut præscriptionis afferuntur, de ordinariis fatalibus saltem exaudiri debent alibi à LL. assignatis, ut hinc immemorialis Temporis præscriptio ordinaria spatia omnia superans vim specialis privilegii & tituli tribuat *c. 1. inf. de Præscript. in 6to.* quas & similes prærogativas remisivè exposuit Dn. Stryk. *Add. ult. ad §. 8. Jur. Eccles. L. 2. c. XI.* modò & hinc mala fides fortè ex possessione documentorum possessori non præjudicium aliquod afferat Brunnem. *d. l. §. 8. inf.* Nam licet Jus Rom. solum lapsum temporis in longissima præscriptione Actionum ad puniendam negligentiam credat sufficientem *L. 1. §. 1. C. de Annal. Except.* attamen & in immemoriali præscriptione bonam fidem Jure Can. exigere generalitas *c. ult. x. de Præscript.* urget, cujus Cap. rationem Theologicam, neminus Theologicè videatur applicata, defendit Rittershus. *Tract. de Differ. Jur. Civ. & Can. L. 4. c. 13.* mirum, quod idem Pontifex Innocentius III. defensores non invenerit in *c. pen. X. de Consanguin. & Affinit.*
34. sed omnibus ferè videatur ridiculus, dum prohibitis in quarto adhuc gradu nuptiis rationem ex *quatuor humoribus in corpore constantibus*
35. *quatuor elementis* substerneret, quem tamen dum in ipsa hac prohibitione arcanum Status Politici amplificandi Cameram suam pecuniis pro dispensatione in gradibus Jure divino haud prohibitis edidisse constat, eundem nec in afferenda hac ratione simplicis ingenii æstimaverim, quin potius argumentò ab absurdo ostendere voluerit, subditorum judicium in re civili suspensum esse debere, quibus in sola voluntate Principis animà Legis acquiescere convenit *§. 6. pr. l. de I. N. G. & C.* nisi potius similitudinem ibi proponere, non rationem, legis reddere voluisse Pontificem dicamus; de cætero intuitu Legislatoris Ratio animam Legis semper absolvit, cum LLtori nihil à ratione alienum placere possit *arg. l. 15. ff. de Cond. Inst.* Hæc autem immemorialis præscriptio in Jure Rom. expressa non invenitur, cum *L. 1. inf. & l. 2. pr. ff. de Aqv. & Aqv. Pluv. l. 3. §. 4. ff. de Aqv. Quotid. materiam*



teriam servitutum exhibeant, in quibus vetustas in dd. LLus requisita longò tempore finitur *L. 10. pr. ff. Si Serv. vindic. conf. c. 2. n. 12.* Sed vide-<sup>38.</sup> tur ibi ex solo lapsu 40. annorum & publici & privati Juris ratio potissimum pendere *L. 4. § 6. C. de Præscript. 30. ann.* quanquam in usu, fructu Civitati concessio *centum anni desiderantur L. 56. ff. de Usufr.*<sup>39.</sup> Ut hinc Civitas ex indole hujus servitutis naturam Individui alicujus induat, cujus spiritus ulterius durare non præsumitur, non tamen ad hanc metam ordinariè decurrere credendum erit Dn. Brunnem. *ad d.*<sup>40.</sup> *l. 56. n. 3. 4. 5.* Nam alioquin civitas non morietur, sed eadem semper remanet, quæ olim fuerat *L. 76. ff. de Judic.* Qualis decisio etiam ad<sup>41.</sup> Ecclesiam extenditur Brunnem. *d. l. n. 2. in f.*

Ex solo itaq; J. Can. recepta immemorialis præscriptio nulli certo<sup>42.</sup> tempori, quantumcunque fuerit, adstricta, sed semper talis erit, *cujus Contrarii memoria non existit c. 1. in f. de Præscript. in sexto Conf. Carpz. P. 1. C. 16. D. 74. § P. 2. C. 1. D. 7.* ubi dissentientium opiniones examinat. Hoc tempore Regalia quoque acquiri posse non satis expeditum videtur; sanè uti attributa divina, quæ unicum punctum<sup>43.</sup> in Deo absolvunt, noster concipiendi modus stupendas Dei operationes intuens à se invicem distingvit, ita (liceat magnis componere parva) quodammodò comparatum est cum Regalibus civilibus attributis Principis. Consistunt & hæc in puncto, in Majestate putata à Deo Vicariis suis largissimè indulta, ratione objectorum verò &<sup>44.</sup> infinita propemodùm sunt & varia sortiuntur nomina, quæ singula Majestatem referunt. Qui unum horum noverit, nullum ignorat, qui, his cognitis, Majestatem propius intelligere fategerit, Majestatem in Majestate quæret. Ex eadem ista objecti diversa æstimatione nata di-<sup>45.</sup> stinctio inter Regalia, quæ excellentiam Principis principaliter concernunt, & ea quæ commodum Fisci potissimum augent; hæc *Minora* ista *Majora* adpellasse placuit D. Beckm. *Polit. par. c. 18. §. 1. & Medit. pol. d. c. §. ult.* At verò derivatus inde effectus, ut præscri-<sup>46.</sup> ptio si non in *Majoribus*, in *Minoribus* ad minimum procedat, nec genuinus nec usque quaque videtur expeditus, cum & *Minora* Regalia sint Regalia, & eo, quòd sint, ab osibus Principis avelli nequeant, nisi totum Principem destruere velis. Caterum diversæ personæ hîc separandæ erunt; aut enim extraneus aliquis Regalia præ-<sup>47.</sup> tendit, aut aliquis subditorum in Rep. *Priori casu* tum demùm præscri-



scriptio eum tuebitur, si aliqua detur principia sua petens ab eo, cui  
 circa Imperia & Regna disponere jus fasque fuerit. *Vid. c. 1. n. 30.* For-  
 mulam verò tantam temporis efficaciam determinantem neque in  
 Sacris literis neque in Universalioribus gentium institutis hactenus re-  
 48. perire licuit. Satis securus verò erit possessor Majestatis, si vel  
 uno ex tribus etiam nùm à Civilibus Scriptoribus observatis modis  
 summum Imperium acquirendi Regni Translativò titulò nifus fuerit.  
 Quod suò exemplò comprobavit quondam Reip. Judaicæ moderator  
 49. Jephtha *Judic. XI. v. 21. ad 26.*, qui imperium in terras istas semel armis  
 quæsitum unicè urgebat, iniquitatem autem illud ipsum repetendi  
 ex lapsu trium ferè seculorum, quò nullum indicium ejusmodi præ-  
 tensionum editum fuerat, simul contra posteros Ammonitarum Re-  
 gis exaggerabat Dn. Ziegler. *Not. ad Grot. in præfat. verb. Et ni fallor.*  
 50. Joh. Strauch. *Dissert. de Imper. Mar. c. 4. §. 5. Posteriori casu* dùm expe-  
 rientia sistit multos Principali charactere non fulgentes, at facultate  
 eudendi monetam, exigendi vectigalia & id genus aliorum Rega-  
 lium usurpandii instructos præscriptionis titulò non rarò se defenden-  
 tes; cogitandum, manere hæc atque talia, quantum ad facultatem  
 intrinsecam & moralem in Majestate semper radicata, eorundem  
 verò exercitium in præsentibus possessores à Principe derivatum esse,  
 participesque redditos illius commodi ac emolumenti, quod inde  
 redundans fisco aliàs fuisset inferendum, protinùs, si altiores gesse-  
 rint spiritus subditi hi privilegiati repetiturum suum initium. Ad-  
 mittet verò hîc Princeps Immemorialis præscriptionis titulum *c. 26.*  
 51. *x. de V. S.* quem ne in se valeat omninò efficere potest *l. 6. C. de Præ-*  
*scr. 30. ann.* sanctionibus suis perpetuò exemptus, quibus tamen vi-  
 vere proprio motu profiteretur §. 8. *J. Quib. mod. Testam. infirm. l. 23. ff.*  
*de Leg. 2. l. 4. C. de LL.* Quod & semper svadendum Principi, dùm  
 ita imprimis animis civium præstantiam LLum suarum, quas fasti-  
 52. dirent, si Principem, ac si indigna foret suorum actuum norma, con-  
 traria his patrare sentirent D. Bekm. *Pol. Par. c. 13. §. 5.* Hic titulus  
 53. ergò Principi exigenti, semper edendus, cum hîc subsit ejus-  
 modi negotium, cujus possessio non potest esse sine titulo ab eo, qui  
 hunc exigit, accepto *c. 3. de Offic. ordinar. in 610.* quod aliàs ita ju-  
 ris non est *L. 11. C. de Petit. Hered. Et ibi Dn. Brunnem.* Et inde est,  
 54. quòd Immediati Nobiles Imperii *Art. 4. §. 17. Instrum. Pac.* titulum,  
 quò



quò Regalia se possidere prætendunt, Imperatori desideranti aperte  
teneantur æq; ac Status privilegia sibi asserentes *art. 23. in med. Cap. Leop.  
ad d. d. c. 3. de Offic. ordin. in 610.* Quod in Statibus Imperii aliquibus Dd.  
non videtur simpliciter necessarium, quia hi pleraque jura non ex spe- 55  
ciali concessione seu enumeratione eorundem, sed ex Superioritate  
Territoriali per modum complexi possident *art. 8. §. 1. & 2. d. 7. Pac.  
à Statuum forte verò Immediata Imperii Nobilitas per idem Instr. P.  
4. §. n. 2. & 10.* omninò exclusa est, de cætero Iudictione omnimoda, quæ  
in Nobilibus Immediatis Juri Territoriali Statuum respondeat, æqvè  
gaudens *Beck. in Syn. l. 3. c. 10. n. 5* Ubi & id, quod omnibus præscriptioni- 56  
b; generale esse Dd. voluit, (quã rectè nunc non disputo) attendendum,  
præscriptionem nempe tanquàm rem odiosam extendendam non esse  
Dn. Br. l. 2. §. *Eccles. c. 11. §. ult. ibiq; add.* At v. nullus Princeps talia jura per 57  
privilegiũ subdito concedere poterit, quorum possidendorum seu ex-  
ercendorum is capax esse nequit, unde Regalium Majorum exerciti-  
um ut LL. universales ferendi belligerandiq; jura simpliciter in sub-  
ditum non cadet ex repugnantia terminorum Relativorum; Unam  
enim personam Majestas & obsequium non inhabitant, subditum se  
confessus semper recordetur suæ sortis necesse est, ne stultè concupi-  
scat, propter quod sui obliviscatur *Vid. c. 2. & 16. X. de Præscr. Strauch  
Dissert. Innerius non Errans c. ult. §. ult. Dn. Stryk. add. ult. in f. ad Jus  
Eccles. l. 2. c. 11. §. 8.* Quanquam verò Jura nostra actione non semper  
persequi valeamus, excipiendò tamen *perpetuò*, vocabulò hóc non 58  
uti in actionibus sed absolutè acceptò, tuebimur, in quotcunq; annos  
etiam duraverit Processus, cujus exempla reperiuntur in exceptione  
*doli & inofficiosi testamenti*, ubi *Agendi* jus tantum intra *biennium*, aut  
*quingvniennium* durat *l. fin. Cod. de Dol. Mal. l. 8. in f. ff. de Inoffic. Testam. 59*  
*Excipiendi* autem beneficium perpetuum est *l. 5. in f. ff. de Dol. Mal. &  
Met. Except. l. 8. §. 13 ff. de Inoffic. Testam.* Diversitatis ratio expressa  
reperitur in *d. 15. in f.* & à favore defensionis arcessenda erit *l. 47. ff. 60*  
*de O. & A. l. 1. §. 4 ff. de Superficie. l. 5. & 8. ff. de Except.* Ex quo con-  
tra præscriptionis exceptionem non communi jure tutus erit quis, sed 61  
specialiori jure juvandus erit, quod fiet, si *vel Statutò vel pactò* exci-  
piendi jura expressè fuerint sublata Dn. Brunnem. *ad Wes. qv. 2. & ult.*  
Dummodò remittendi facultate juris sui quis gaudeat, undè necessa-  
riæ defensionis renunciari non poterit, cum non tantum alterum, se- 62

CUS



cus ac fas est, ad delinquendum invitatur, sed ipsemet pereundō peccat  
tutelam vitæ suæ negligens. *l. 3. ff. de J. & J. l. 45. §. 4. ff. Ad L. Aquil. l. 2. §. 3. C. Ad L. Cornel. de Sicar. quam pro Principe seu Rep. saltem amittere obstrictus est, ex principio Juris Nat. fortiori adeoq; omnes privatos respectus longè superante l. 35. ff. de Religio. l. 1. §. 15. in f. ff. de Ventre in possess. mitt.*

- 63 Tandem delictorum rationem habere placuit, non tam quantō tempore tollantur, dum *Actiones Prætoriz* pœnales communiter *annales* sunt *l. 35. pr. ff. de O. & A.* nisi affinitatem cum civilibus habeant *pr. J. de Perpet. & Temp. Act.* aut securitati publicæ caveant *l. 7. §. ult. ff. Naut. Caup. Stab. l. 5. §. 5. ff. de His qui effud. Civiles* autem *Criminales vicennium* ordinariè observant *l. 12. C. Ad L. Corn. de Fals.* aut *Quinquennium. l. 29. §. 6. ff. ad l. Jul. de Adulter.* Quæ spartia æqvè in Processu Inquisitionis hodiè frequentiori licet nec Juri Rom. ignoto *l. 13. pr. ff. de Offic. præf.* procedunt *Carpz. Pr. Crim. q. 141. n. 18.*; sed potiùs, quæ ratione delinquens pœnâ absolvi justè queat? Et quidem initiō monendum, quòd uti non omni virtuti, cui quem, vis etiam extra societatem hominum degentem operam dare oporteret, Resp. præmium posuit, sed tantum illis, quæ magis sociales sunt, adeoq; præ cæteris ab eadem agnoscuntur *D. Bekm. in Notit. Dignitat. Dissert. XI. c. 2. §. 4.* eòdem modò vicissim nec omnia delicta Resp. punit, sed tantum ea, quæ contra LL. Reip. commissa, adeoq; societatem civilem his præ reliquis turbasse deprehenduntur, divinæ vindictæ permisis, cum Deus & ad ea noscenda sapientissimus sit, & ad expendenda æqvissimus, & ad vindicanda potentissimus *D. Bekm. Med. Pol. c. 15. §. 6.* Intemperantiæ itaq; aliisque similibus vitiis hîc non immorabor, sed cæteris gravioribus à Rep. agnitis & vitam adimentibus, licet *vel naturâ vel Lege* demum capitibus, de quo discrimine egit *D. Bekm. Pol. par. c. 15. §. 6. & 7.*
- 67 Currit verò hoc Vicennium à tempore commissi delicti *l. 5. §. 4. l. 29. §. 8. ff. Ad L. Jul. de Adulter.* ex quo in continuatis nullus præscriptioni locus dabitur, uti de Apostasiæ & suppositi partûs crimine proditum est *l. 4. pr. C. de Apost. l. 19. §. 1. ff. ad L. Corn. de Fals.* Volunt verò bonam fidem nihilominus commissō delictō, quod infectum fieri nequit, delinquentē vel ex solahac ratione non destituere: quòd nemo in conscientia ad subeundam pœnam, quæ nec conscientiam solatur,

te-




teneatur se deferre, quin potius servandæ vitæ media studiosè sectari  
D Bekm. in *Moral. c. 8. §. 10. cc. f.* nedùm extraneus, nisi publicè ad  
id constitutus aut delicti committendi vel commissi ratio specialis ita  
jubeat *l. 5. §. pen. C. Ad L. Jul. Maj.* Dn. Brunnem. ad *Wes. t. de Re-* 69  
*ceptator. q. 5.* uti de Patre Garnetto conspirationis pulveris tor-  
mentarii conscio in Anglia ideò supplicium sustinente historia nota  
est. Et sanè magis è re Publici est delicta interdum non rigerosè inda-  
gari, ne mali indè quærant vias subtiliùs atqve occultiùs eadem ma-  
lâ perpetrandi. Nec Magistratus, reò non aufugiente, ignorantiam 70  
delicti commissi eidem objicere poterit, cùm scire potuerit, si dili-  
gentiùs suò officio fuisset defunctus, quin potius hanc exceptionem  
omissam supplere debeat ex *Actis adparentem. C. Ut quæ defunt*  
*Advocat.* uti ita pronunciatum refert Dn Stryk *addit. ad §. 25. q. 1. ad*  
*Ius Eccl. L. 2. c. 18.* quanquam ad scandalum ex Ecclesia tollendum 71  
deprecatio adhuc injungi Dn. Stryk. *addit. ad §. 28. §. 26. L. 2. c. 19.*  
*Jur. Eccles.* imò à Superiori delinquenti hoc ex Lege Civili quæsitum 72  
beneficium ex justâ causâ tolli qveat Dn. Stryk *Not. ad §. 6. inf. I. de*  
*I. Nat.* sicut in Saxonia Electorali lapsus Quinquennii in adulterio 73  
duplicato nihil delinquenti prodest propter Legem publicam  
*Carpz. P. 4. C. 19. D. 13.* Ultimò LLtor ab injustitiæ colore li- 74  
berandus erit ratione delictorum naturâ & universali sanctione divi-  
nâ capitalium, quæ licet Princeps remittere neqveat iisdem LLus i-  
psemet obstrictus ac pœnâ à Deo infligendæ obnoxius, attamen cùm 75  
media defendendi & causam examinandi accuratè *L. fin. C. de Probat.*  
hâc ob tantum temporis lapsum deficiant, sine quibus nec jure Divi-  
no *Deut. 17. v. 4.* quis condemnandus, cùm Deus eis ordinariis ad-  
ministrandis deficientibus ipse humanò judiciò occultum patitur esse  
scelus *Deut. 21. v. 1. sqq.* nec hæc crimina utcunqve atrocissima hîc  
excepta, sed *satius credendû, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm*  
*innocentem damnare l. 5. pr. ff. de Pœn.* quanquam etiam hoc casu pro  
ratione citi cumstantiarum Princeps ordinariam pœnam irrogare pos-  
sit ceu n. 72. notatum fuit. Atqve hæc sufficiant huic Exercitio Aca- 94  
demico, à Studio Juris voce hâc vulgariter acceptâ, ultimum  
expediendo Plura omissa uti alias fieri solet, non excu-  
sabo; Neque enim *Tirulus* ipse omnia promissit.


Tantum.

GLORIA SOLI DEO!


















the scale towards document

5.  
inciaciones, licet signum conditionis ha-  
n statim sunt conditiones, siquidem illa in-  
ationis est pura, hæc verò in diem  
ff. de cond. & demonstr. l. 17. l. 28. de  
Inst. de V. O. l. 9. §. 1. de novat. Dn.  
J. C. Exerc. 47. th. 17. Et notanter  
tu; quippe alia planè ratio obtinet  
tatibus, quoad posterius exemplum.  
as heres ita instituat: *Tuius heres esto,*  
*ietur, omnino facit conditionem, quia he-*  
*Sempronium mori potest. Et hoc*  
*n tale legatum: heres meus, cum mo-*  
*dato, defenditur, quoniam legatarius*  
*edem discedere potest, discesso verò*  
*edem ejus legatum non transit, quia*  
*ivo eo, quamvis certum fuerit mori-*  
*de condit. & dem. l. 4. pr. qn. dies leg.*  
*n stipulatione. Et si enim ante pro-*  
*or decessit, heredi tamen ejus debe-*  
*erb. oblig. Nam & spes conditionalis*  
*eredem transmittitur, & quilibet non*  
*d etiam heredibus contrahit. Nihil*  
*an mortuo stipulatore exitum ha-*  
*nitium namque, quo facta est stipu-*  
*legati verò non, sed solum dies ejus*  
*tur. Sin verò heredi instituto ad-*  
*s cum morietur, heres esto, non condi-*  
*si legatario adjicitur l. 4. §. 1. ff. qn. le-*  
*neus 79. pr. ff. de cond. & dem. quia,*  
*orieris, vivens mori intelligaris, &*  
*sit, te vivo, diem legati existere. Mo-*  
men<sup>a</sup>